

rum vsus postulat, & repellatur, quando eo non est opus. Deinde videmus animi defectum, timorem, verecundiam, iram, gaudium, tristitiam, rigorem per febres, & postea calorem, aliasque vniuersas animi, corporisque passiones, quæ celerem, & propemodum momentaneam generationem, & recessum habent huius calidi vi, & motu, fieri: vt merito quoque putandum sit somni, & uigilia, eandem cum illis causam esse. Adde quod uigilantium facies, & externe aliæ partes, rubræ sunt, & secundum cuiusque naturam bene coloratæ: pallefcunt uerò, & liuescunt illæ in dormientibus: id quod aliter fieri non potest, nisi quòd in his sanguis uniuersus, aut tenuior, spirituosiorque illius portio, ad internas partes sese recipit: in illis uerò ad externas erumpit. Fit ergo somnus, & uigilia omnis, ab unica immediata, & communi causa, nempe calidi influentis a corde, motu: eo enim sensoria uniuersa, simul non sentiunt, quòd uim sentiendi hoc calidum, ad ea non ducat: aut quòd illa uis, ut nec alia corporis facultas, absque illo exerceri non possit, sensum uerò tunc illa recipiunt, cum in illa influit calor huiusmodi, sic enim nunc in partibus internis, nunc uerò in externis membris, affluit calor, eodem pacto, per timorem ociosa redduntur externa membra, recedente nimirum innato calido ab illis, ad interna uiscera: per iram uerò, externis partibus additur robur, quoniam hoc calidum extra erumpit: facit ergò uigiliam motus calidi ad sensoria: somnum uerò, eiusdem parit recessus, & absentia: quo fit vt Aristoteli male in communem sentiendi vim, quæ in omnes sensus spargitur, causam illorum reiiciat, dicatque illum affici, & eius defatigatione alios sensus fatigari, suaque officia deferere, non enim uis illa singulis sensibus deest primò, & per se, aut per suam affectionem, sed quòd ei deficiat calidum innatum, cuius motu, & præsentia, ea in singula sensoria, vim suam spargit, in illisque exercet. Adde quòd eo authore, nec anima, nec animæ facultates, defatigari possunt, si modo instrumenta perstant ualida ad sua officia obeunda. Nam ut ille dicere solet, senex uideret ut iuuenis, si oculum iuuenis haberet: tanquam eadem sit, & tam ualida in utroque facultas, quæ idem nequit facere, ob instrumentorum differentiam. Verum etsi præsentia, & absentia influentis calidi à sensorijs, causa est uigiliae, & somni: tamen non unica est causa, & ratio, quæ facit, ut illud nunc præsens sit, nunc absit. Plura enim sunt, & illa quidem inter se genere discrepantia, quæ remouent, & adducunt hunc calorem, quam tum ex eo necessarium est ad actionem singulorum sensuum exercendam. Non enim ita intelligendum est calidum innatum influens, externa membra prorsus deferere, cum dico illius absentia somnum excitari; quandoquidem pulsus, & calor, qui in singulis membris percipiuntur, dormiente homine, docent illa non esse prorsus eo calore destituta, sed non sufficit quilibet calor ad sensum, & motum: quòd testatur timor, in quo extrema membra contremiscunt, vacillantque, nec uident oculi, aut aures audiunt: id quòd sanè accidit, non quòd ea membra planè priuata sint calore influente: sed quòd minus quam necessarium sit, in illis relinquatur, dū ipse calor ad cor confugere cogitur. Porro deest calidum influens sensibus, eò quòd à corde suo scilicet fonte, ad sensoria non perueniat, id quòd fit, uel quia illud sit ad motum, & ascensum redditum ineptum, uel quòd alio reuocetur, uel quòd illi uia sit occlusa, per quam transire solet, uel quòd deorsum pellatur, uel quòd non alliciat, ducatur uel ad sensoria, uel quòd non impellatur ab aliquo sursum. Cum enim contrarijs his modis, motus eius liber fiat ad sensoria, optima ratione fit, ut aliquo isto somnum fieri, facile est docere. Nam inepta redditur illius substantia ad motum in externas partes, & sensoria, uel quòd illa concreta sit, & densata, refrigerataque: siquidem densitas, & frigus immobilitatis, raritas, & calor motus, cause sunt: uel quòd diminuta, dissoluta, imbecilliorque sit redditæ: adeo ut nequeat usque ad sensoria extendi: uel quòd alio motu feratur quam recto. Nam ex obliquo, circularique rectum illius iter ad sensoria impeditur. Ac opium, cicuta, mandragora, lactuca, aquæ potio, & alia, tum alimenta, tum medicamenta quæ intus assumuntur, refrigerandi uim prædita, somnum, & soporem inducunt, quia spiritum, calidumque innatum refrigerando, reddunt inepta ad motum. Eodem pacto, quæ foris adhibentur refrigerantia, ut lotiones extremorum ex rebus refrigerantibus confectæ, somnos conciliant, quòd per uenas, arterias, & neruos, frigus transmittant ad cor, atque adeò in uniuersum corpus: quo quidem innatum calidum pariter inhabile ad motum redditur. Dolor uerò, uigilia, labor, inedia, tristitia, ira, uenæ sectio, purgatio, uenus, fletus, & ut semel dicam ea, quæ sanguinem, & spiritus, quocumque modo digerunt, & absumunt, somnos efficiunt, eò quòd languidius reddatur calidum innatum, adeò ut nequeat ad sensoria ascendere, aut certè non possit diutius illis ministrare: quo fit, ut illud in uisceribus internis, suisque fontibus nempe hepate, corde, & uentriculo quodammodo concludatur, & interim si quid in illis locis, ubi nutrimentum abundare solet, nondum plane confectum reperiat, illud in sanguinem mutet: quo refocillatus, & auctus, postea redit ad sensationes, & alias animales actiones peragendas. Vnde uidemus ex labore sequi somnum ex somno uigiliam, & animalia validiora reddi.

Hanc causam explicauit Lucretius his uersibus.

Principio somnus fit, ubi est distracta per artus
Vis animæ: partimque foras eiecta recessit,

Et